

Bibliothèque numérique

medic@

**Mery, François - candidat / Bourdelin,
Louis-Claude - président. - An Opium
hystericis ?**

1725.


***Paris : Typis Philippi-Nicolai
Lottin, Facultatis Medicinae
Typographi***

Cote : ms 2326 n°44



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax05x0044](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax05x0044)



DEO OPTIMO, MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis
decimo quinto Novembris 1725.*

M. LUDOVICO-CLAUDIO BOURDELIN,
Doctore Medico, Præside.

An Opium hystericis?

I.

MULIERES affliguntur morbis compluribus. Nullus in eas, affectu hystérico sævit importuniùs. Græcis ille ὕστερον πρῶτον ἀνέξαι & ὕστερον πρῶτον. Latinis minùs cognitâ morbi sede, errore consimili, Passio hystérica nuncupatus. Morbus ille, si ægrarum numerum spectes, frequentissimus est; si vim & ferociam symptomatum, atrocissimus; si ejusdem cum cæteris fere omnibus morbis communes larvas, signaque ambigua, fallacissimus. Campestrium locorum incolis mulieribus rara avis. In urbe degentibus tantum non à cunis familiaris. A parentibus ad natas tradux, hæreditario nonnunquam ortus jure, delicatuli corporis fovetur texturâ rariore, crescit victu lautiore, otio adolescit, fir-

A

matur animi pathematum consuetudine & vehementia. Inveteratus, sæpius iteratis paroxysmis fracto & languenti corpori altius infixus, omnem fere respuit medicinam: cachexiâ insigniore, appetitus prostratione, hydropo testium; iudicii, ratiocinii, memoriæ, aliorumque mentis attributorum & functionum debilitate, læsione, privatione, non raro terminandus. Ab eâ peste rusticas vindicant mulieres, quæ cum ipsius causâ non bene conveniunt, victus simplex, mens curis vacua, laborum patiens corpus. Affectum hystericum describeris potius quàm definieris. Illius quot symptomata, tot fere sunt morbi; quot signa, tot latentes doli, tot insidiæ. Ab iis nulla pars corporis immunis est. Ad caput delata causa morbi, cephalæam gignit, clavum figit hystericum, oculis infert vertiginem, caliginem obducit, aures inquietat tinnitibus, susurris, sibilis. Apoplexiam mentitur, odontalgiam simulat. Thoracis arcam ingressa, difficilem respirationem, inanem tussim, nesciamque expectorationis, suspiria, palpitationem cordis, lipothymiam, syncopem generat. Convulsis asperæ arteriæ œsophagique tunicis & diaphragmate, ab inferioribus ad usque laryngem, ascendentem æmulata globum, suffocationem minatur. Ventriculum illapsa, ructus nidorosos, nauseam multicoloris materiæ, vomitus enormes, colicam movet hysterica, biliosa omnino similem, icteroque intensiore superveniente, brevi solvendam. In colo & cæteris intestinis rugientes borborygmos, diarrhæam excitat. Dolentia hypocondria spasmodice distendit. In renibus veram exprimit nephritidem continuato per ureteres dolore. Quin & ipsi velicæ eos affert cruciatus, quos faceret ejusdem stranguria, urinæque prohibens exitum calculus. Nec mitius agitur cum extremis partibus corporis. Illæ modò rigent frigidis cadaveribus similes, modò in spasmos actæ robustissimorum eludunt bajulorum vires, modò hydropem referunt, nullo impressi digiti manente vestigio, tumore matutinis horis protuberantiore, vespertinis demissiore. Huc accedant nec voluntariæ, nec verecundæ artuum quaquaversum jactationes; huc vibrationes spinæ, non voluntatis, sed morbi imperio agitæ. Ad sunt lacrymæ risusque tristes pariter, pariter spasmodici. Tot inter atrocia symptomata non melius stat menti sua tranquillitas; nec illi in ægro corpore licet esse sui juris & sanæ. Quot vexant corpus morborum facies, tot fere turbant insanientem animam affectuum procellæ. Hinc hystericarum inconditæ & absonæ vociferationes. Hinc earundem mira proclivitas in odium, amorem, tristitiam, lætitiâ, iram, suspiciones, aliaque animi pathemata. Hinc facilis ab uno ad aliud quantumvis oppositum transitus. Si cum affectu hysterico hypocondriacum conteras, sexu mutato, unus idemque morbus est. In indangandâ stupendi adeo morbi causâ, insontem ne damnes uterum, dum aliæ delirant partes. Utero sufficiat suos pati manes; alieno liceat carere opprobrio. Rectius torpidi sanguinis spif-

fiorem culpaveris diathesim, ³ vitiatumque inde spirituum animalium influxum in nervos.

II.

INCUSENT alii quantumlibet malignum miasma ad pulmones caputque elatum. Alii frigidum uteri causentur temperamentum. Hic corrupti seminis prætexat frigus. Ille passionis hystericae originem à sanguine flatulento nimis & tenuiore, quantumvis reclamantibus morbi symptomatis derivare tentet. Maligno miasmata ad pulmones caputque tendenti obstant uteri in hoc morbo sanitas, denegati itinerum aditus. Ab utero frigidi temperamenti convitium removel, illius cum aliis partibus musculosis membranosisque naturæ & officii consensus. Repellunt corrupti seminis calumniam illæ ægrotantes, quas à retentionis morâ depravato semine laborare quis minimè somniaverit. Paribus affectio hysterica laceffittelis in nuptas nuptasque. Nec iis insolentior est mulieribus, quas uni servire hymenæo libidinofior non patitur Venus. A sanguine flatulentiore, ferofiore, tenuiore, hunc affectum nasci vetant, illius tum incipientis, tum provecti accidentia; remediorum hystericis salutarium natura, operandi vires. Quid plura? Hystericorum symptomatum familia fere omnis parentem agnoscit convulsionem. Illa sanguinis lentorem plethoricum. Suum spasmodicæ affectioni conferunt symbolum nervi; ab aliâ ipsi causâ malè habentes. Illi nimirum vasorum tenuissimorum vices gerunt, succo cuidam peculiari vehendo destinati. Vasculorum nervos componentium summam exilitatem, patentes tamen meatus, & ipse vidit, & speculari exhibuit oculatissimus naturæ dissimulantis scrutator Leeuwenock. Per hosce tenues adeò canaliculos circulatur liquor. Succum nervum vocant, spiritusque animales. Eorum illa est fors, ut nimirum ac cæteri liquores, sanguinis sint foetus. Ab ipso latice sanguineo, cerebri, cerebelli, medullæque spinalis ope secernuntur. Tenuiores futuri vel crassiores, acriores aut mitiores, pro sanguinis à quo fluunt indole, texturâ, crasi. In plurimis calidis morbis, à sanguine salibus acrioribus scatente separati, ad ferociam usque exasperantur. In aliis quibusdam, à pigro lentoque deducti cruore, torpidi & elangues, nativæque obliti velocitatis, tardantur, sistunt. Habes hic duplicis convulsionis causam & imaginem. Affectum hystericum à spisso nimium strictoque sanguine oriri indicant, quæ paroxysmi tragoediæ præludunt symptomata. Illa sunt frequentes oscitationes, corporis totius languor, pulsûs exilitas, frigus intensissimum, anxietas animi, tristitiaque supra fidem urgens. Hæc omnia autem quid designant, nisi sanguinis spissitatem, imminutam velocitatem, moras? Quis ibi rarefcentem sanguinem, brevioribusque æstuantem in cancellis imagnetur? Quis indignatum eundem

A ij

& rarefactionis impetu ruptis carceribus sese effundere gestientem suspicari possit? Nec minora præbent spissitudinis sanguineæ indicia affectus alii symptomatici hysteriarum. Quæ enim ut plurimum eas affligunt cephalæa, clavus hystericus, tussis sicca, vertigo, difficilis & anhelosa respiratio, cordis palpitatio, lipothymia, syncope, non aliud indignant quàm hærentem intra capitis, pulmonum, cordisque vasa sanguinem. Non aliunde deduxeris ventriculi morsus, nauseam, vomitum, colicamque hystericis familiarem, quàm à distentis vasis plethorico & spisso sanguine. Non aliunde spinæ dorsi cruciatus, intestinorum borborygmos & diarrhæas, hypocondriorum molestas distensiones, mentitosque nephritidis dolores oriri asserueris, quàm à stagnante his in omnibus partibus sanguinis fluente. Ab eadem pendent causâ convulsiva alia symptomata hysterici affectus. Ea ut depravatæ muscularis functionis foetus sunt non ignorabiles, sic & ab inæquali sanguinis distributione & morâ in antagonisticis musculis sobolescere nullus negaverit. Allatæ hujus morbi causæ alia quæris argumenta? Ea suppeditabit prægressus ut plurimum tristitiæ sensus, urinæ copiosæ, subitanæ, aqueæ, signum morbi pathognomonicum. Vide tempora circa quæ ut plurimum his symptomatis solet conflitari miser profectò sexus. Puellam intueri frustra desideratis menstruis pubescentem, eam non pallidis magis deturpatam coloribus, quàm affectibus hystericis vexatam reperies, languentemque. Mulierem eandem factam aut partim, aut omnino, ratione temporis vel quantitatis, menstrua si deficient, hystericam conspicias. Quis autem eam sic affici à nimia sanguinis lenti redundantia non fatebitur, qui menstrui fluxus originem causamque probè noverit plethoram, ipsi Galeno nec incognitam, nec indictam? Lentoris sanguinei in hystericis ulterius præbebit, nec fallax indicium, antihystericorum medicamentorum energia. Quæ omnia cum morbum curent, dissolvendo, attenuando, fundendo sanguinis laticem, manifestum est eundem in eo morbo nedum flatulentus sit & tenuior, è contra cogi nimium & densari.

III.

INTER ea quæ sanguinem attenuare valent medicamenta, non ultimas tenet Opium. Succus ille papaveris ab antiquis ὁ πόνος dictus fuit, quasi ὁ πόνος κατὰ τὸν ὄχλον. Huic scilicet succo inter alios omnes primas deberi censuerunt, à quo in humanum genus plurimum redundaret commodi & emolumenti. Quid autem vigiliis, labori, dolorique, somno succedit aut dulcius, aut optatius? Quam Opio frigiditatem veteres tribuere, eam non suasit medicamento bene inspecta & cognita natura, intimiorque crasis. Errori ansam præbuere facta Opium cum cæteris reverâ frigidis medicaminibus

5
comparatio, malè intellecti ejusdem agendi modi & effectus. Decocto lactuæ, in calidis quibusdam morbis, non secus ac in aliis diversis, Opio, conciliari somnum viderant: utrumque ab ejusdem qualitatis causâ procedere falso nixi fundamento asseruere. Adducti sensibilibus Opii qualitatibus neoterici, perspectisque illius principiis de ejusdem naturâ non ambigunt amplius. Litem composuere sulphur volatile & sal acre, quibus turgēt illud medicamentum, caliditatis non dubii indices. Nec inter se tamen quamvis agnitis iisdem in Opio principiis, de illius operatione consentiunt Medici recentiores. Ab Opio ligari spiritus animales asserit, totus in eorundem explosione ad explicandam motus muscularis & convulsionis causam, Willisius. Vim Opii somniferam sudoriferamque à torpidis illius ope factis spiritibus deducit Etmullerus. Parcius scilicet influentibus in nervos spiritibus, pacatiusque, somnus ingruit; laxatis nervosis cutis staminibus, & denegatorum spirituum penuriâ coincidentibus, teste eodem, effluit sudor. Somni quietem coagulatis & densatis spiritibus, obstructisque cerebri porulis à vaporosis quibus scatet Opium effluviis tribuit, accuratissimus aliunde Opiologie Scriptor, Wedelius. Tantum potuit suadere erroris præjudicata de Opii sulphure, & spiritibus animalibus opinio! Ex velocitate nimirum humani corporis motuum, eosdem producentis causæ pernecitatem & agilitatem æstimavere. Ita ut qui liquor effectus adeo multiplices, celeresque & subitaneos ederet, ille & supra fidem celerrimè, & ignis ad instar deberet moveri. Inde natæ explosionis & excandescentiæ voces. Quantum illæ igneis liquoribus & maximæ capacibus rarefcentiæ, pulverique pyrio congruunt, tantum à liquore dissentiunt nerveo. Ille solo fluiditatis momento naturales suas exsequitur operationes. Liquori nerveo intra exilissimos nervorum canaliculos fluenti & agenti sola sufficit partium extremarum percussio, ad ultimas nervorum propagines liquidi continuitate deferenda. Hac mechanicâ sensuum motuumque functiones læsas aut sanas faciliùs & simpliciùs explicaveris. Spiritus animales cum à sanguine profisciscantur, non possunt ejusdem, quatenus fluidi, affectionum non esse participes. Spissus nimium, lentiores spiritus, agiliores tenuior suppeditabit sanguis. His ita, quidquid agitare & attenuare sanguinem valebit, illud & spirituum copiam & motum poterit instaurare. In Opio prædominium obtinent sulphur volatile admodum, & amaræ sal acrimonix. Sulphura quantum rarefcere valeant, amara & acra quantum fundere, norunt omnes. Quis tale medicamentum in sanguinem delatum, illum cogere aut densare posse sibi finxerit? Quis potius ab eodem medicamine, principiis ad rarefcendum attenuandumque ita habilibus instructo, rarefcentiæ sanguinæ, & attenuationis fluorem majorem non expectaverit?

AB Opio assumpto pulsus elatior & somnus, sanguinis rarefcentiam demonstrant. Sudor, sudoremque excipientia sitis & faucium ariditas, totiusque corporis pruritus, ejusdem sanguinis attenuatam compagem solutioremque factam exhibent. Ibi enim minimè suspicanda venit sanguinis congelatio, ubi prodit ab ipso sanguine fluidiore facto, ad calentis corporis peripheriam propulsum sudoris effluvium. Non alià mechanicà Opium internè vel externè exhibitum doloris sequitur oblivio. Quicunque enim humores, sui remorâ intra partes membranaceas, dolorem pariunt, illi ab Opio soluti, vel liberiori sanguinis circulo redduntur, vel foras sudoris aut urinæ formâ exeunt. Unde opium licet naturâ sit sudoriferum, aliquando tamen cohibitis aut spasmo aut fibrarum crispaturâ urinis, fit diureticum. Opii caliditatem & fundendi virtutem probant acida, quibus, vellent ægri, tantum corrigeretur. Illa ut densiorem faciunt sanguinem, ita & Opio omnem adimunt energiam. Iis castratur melius quàm corrigitur. A quibus tamen nedum infringi, immo deberet intendi Opii virtus, si astringentii inspissantisque medicamenti, potiusquam calidi & solventis, obiret munus. Tosti Opii non felicior correctio. Igne intensiore in auras abeunt magno mixti damno, & sulphuris penetrans odor, & pars salina volatilior multiplicis boni fons & parens. Assertum probat experientia. Incassum expectes ab Opio ignis ope correcto somni sudorisque dona, & indolentiæ beneficium. Ab acrium medicamentorum aromaticorumque mixtione, si non augetur, fovetur saltem Opii potentia. Testis laudanum liquidum sydenhamii, cardiacum æque diaphoreticum & hypnoticum. Feliciter adhibetur Opium adversus eos morbos in quibus spissior sanguis, calcare indigus non fræno, solvi potius quàm densari postulat. Hujus sunt indolis tussis, pleuritis, capitis dolor, febris intermittens, dysenteria, alique morbi complures, ejusdem causæ effectus, solâ sæpissimè partis ægrotantis functione debilitatâ aut læsâ discriminati. Ille & medicamentorum potentiam agendique methodum nescit, morborumque naturam, & fiendi modum ignorat, qui uni curandæ ægitudini unicum sat semper esse censet remedium. Non inde tamen fias Polypharmacus. Ægrotanti novam accerferet ægrimoniam indigesta medicamentorum farrago. Medium periti tenuere. Non solis hypecacuanna & kinakina curantur dysenterię febresque. Non solis tantum dysenterię aut febribus medelam afferunt præstantia hæc duo medicamina. Idem de Opio jure existimaveris. Non in somni conciliatione, dolorisque sedatione quiescit egregii adeò medicamenti virtus. Innumera alia præstat eodem derivata fonte, iisdem oriunda principiis. De illius in sanguine liquando efficaciam hæres adhuc dubius? A ratiociniis ad physica transeamus experimenta. Cum sero sanguinis humani mixtum lauda-

num liquidum compagem illius tenuiorem effecit. Ab eadem Opium præparatione, sanguis caninus ab arteriâ secunda recentè extractus, rutilantiorem adeptus est colorem, majoremque tenuitatem. Ea forsân cæspitanti nondum faciunt satis. Aliam nimirum Opium vim in sanguinem extra vasa stagnantem, aliam in eundem fluentem intra vasa conjicies aut suppones. Refragantem audi autopsiam. In venam canis jugularem injecit panaceam Opium liquidam D. Freind, solers æque in tentandis experimentis, ac fidus in referendis. Intra quatuor horæ minuta defuncto animali & aperto, sanguis è venâ cavâ & aortâ descendente effluere visus est admodum tenuis & rutilus. Pulmones rarefacto rubescebant turgabantque sanguine. In corde sanguinis maxima fuit fluiditas, nullo vel levissimi coaguli superflite vestigio. Membra diu post mortem riguere. Tantum ab Opio incaluerant ! Alteri cani propinato laudano Londinensi, mortem brevi tempore succedaneam antecessere tremor, spasmus, immanisque salivatio. Sanguis in cadavere rarus admodum tenuisque supra fidem repertus est, distentis maximè arteriis venisque omnibus. I nunc, & dubita de virtute Opium attenuante.

V.

DEBITA fruuntur Venere quibus licet. Maximè naturali licet; hac medicinâ morbi hysterici propellant insultus; eosdem præcavere sperent. Utinam nunquam incassum. Nec invidébunt nec morabuntur illæ, quibus ut prohibitam fugiant voluptatem, concessam etiam, non muliebriter aliquando dedignentur, faciunt animum, pudor innocuus, voti Religio, suscepta vitæ ratio, præconcepta de maritali capistro tædia. Eas aliud rebus in artibus manet solatium. Ad Opium confugiant intrepidæ. Ab eo & doloris lenimen & malorum præsidium reposcant. Rarò fallit, modo prudentis Medici porrigatur manu. Ille remedii exhibendi explorabit opportunitatem. Vacuari prius curabit stomachi officinam, intestinorumque gyros, ne à viscidis, tenacibus, acidisque materiis impediatur aut infringatur medicamenti virtus. Liberandis ab importuno sanguinis plethorici & spissi onere vasis, allaborabit non inutilli providentiâ. Locum scilicet postulat qui rarefcere ab Opio debet sanguis. Ille, si spatium vasa negaverint, fractis obicibus ampliora affectabit conceptacula. Non aliâ ratione operantur emmenagoga omnia, & Opium ipsum, inter illa jure potissimo annumerandum. Dosim Opium non tam certo quodam pondere aut mensurâ determinandam existimes, quàm Medici solertiâ & sagacitate. Sævientibus admodum doloribus ea dosis irrita evadit, quæ aliàs maximè fuit efficax. Quanta nimirum corpori ægro sit doloris accessio, tanta incumbit Opio detractio suæ virtutis. At Opium præ tenuitate vix ac ne vix quidem expectorandos, acrimoniâ maxime molestos catharos sistit ? Dysenterias sanat & diarrhæas ? Ibi opium vim sudoriferam diaphoreticamque boni hujus authorem agnoscas. Ablegatis ad

corporis peripheriam, perspirationisque & sudoris organa humoribus, minor fit eorumdem ad partem læsam appulsus. Nec obicias ab opio sanari hæmorrhagias, & inde astrin gens Opium stypticumque proclames. Hic Opii efficaciam in attenuando spisso nimis sanguine, & vim vasis ad fracturam inferente, recognoscas & fatearis. Hanc hæmorrhagiam quæ à dissoluto nimium sanguine, separatis ab invicem & destructis naturalibus illius principiis oritur, totius Opio Thebaidos experieris insanabilem. Nec Opio frigidity in uras notam, cujus dolis solita minor studiosis hominibus distinctiorem idearum evidentiam conciliat, & acutiorem mentis perspicacitatem. Non sine calidæ virtutis momento tumores resolvit Opium. Non sine eadem arthriticorum nodos ad duritiem usque exsiccat. Quod Turcis animos addit ad prælium, ebriosque eosdem ac lymphatos reddit: Quod Indos ad inexputabilem, numeroque prodigiosam Venerem stimulat, an frigidi poterit incurrere medicaminis injuriam? Videtur & ipse Hippocrates Opii agnovisse caliditatem. Ille ad cordis suffocationem, difficilemque in hysterice mulieribus respirationem, hypnotici papaveris succum suadet, rutæ, abrotoni, aliorumque calidorum sane medicamentorum vicarium. Quid verbis opus est? Vi solvendi sanguinem in Opio detectæ & assertæ debentur omnia illius phænomena. Eadem attenuantis Opii virtute somnus ingruit, mitescit dolor & evanescit, diaphoresis effluit, erumpit sudor, urinæ laxantur, hæmorrhagiæ sistunt, cientur menses, convulsæ parti motus accedit reciproca æqualitas, curantur morbi ab imminutâ perspiratione pendentes, eadem ad corporis ambitum repulsâ tollendi. Affectum hystericum à stricto nimis & spisso sanguine oriri indicant & evincunt morbi symptomata, tempora, remedia. Opii in fundendo & rarefaciendo efficaciam ratio conjicit, detegunt physica experimenta, fulcit autoritas, & inconcusso firmat fundamento his omnibus potior quotidiana Medicorum experientia.

Ergo Opium Hystericis.

Domini Doctores disputaturi.

<i>M. Guillelmus - Josephus de l'Epine.</i>	<i>M. Aegidius Adam.</i>	<i>M. Jacobus-Benig. Winslow Regie Scientiarum Academia Socius.</i>
<i>M. Ludovicus - Hieronymus Cofnier.</i>	<i>M. Camillus Falconnet, Regie utriusque Aulae Equestris Medicus Ordinarius.</i>	<i>M. Ludovicus Guilloz.</i>
<i>M. Ludovicus - Joannes le Thienllier.</i>	<i>M. Hyacinthus - Theodorus Baron.</i>	<i>M. J. B. Fermelbuis in Regia Artium Academia Socius Honorarius</i>

Proponebat Parisiis FRANCISCUS MERY, Parisinus,
Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. M. DCC. XXV.
à sextâ ad meridiem.

Typis PHILIPPI-NICOLAI LOTTIN, Facultatis Medicinæ Typographi 1725.